



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Divisio Provinciarvm Hispaniarvm secundum regem Vvambam, facta tempore Quirici primatis & archiepiscopi Toletani. Cum inter praelatos Hispaniarum magna fuisset exorta discordia, eo quod vnusquisque ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

DIVISIO PROVINCIARVM HISPANIARVM

ANNO
CHRISTI
569.

secundum regem Vvambam, facta tempore Quirici primatis & archiepiscopi Toletani. Cum inter prelatos Hispaniarum magna fuisset exorta discordia, eo quod unusquisque inuaderet terminos diocesanos, rex Vvamba Synodum celebrari precepit Toleti, conuocatis & congregatis archiepiscopis & suffraganeis suis. Presentato in medio numero ciuitatum & diocesum, taliter diffinitur ibidem.

PROVINCIÆ Carthaginensis, vel Carpetaniæ metropolis, regia vrbs Toletum.

Toleto subsint, Oretum, Beacia, Mentefa, Acci, Astigi, Vrgum, vel Almeria, Bagastri, Illici, Serabia, Denia, Valentia, Valeria, Segobria, Arcabrica, Iplicea, Segontia, Oxoma, Segobia, Palentia.

Tarraconæ subsint Barcinona, Gerunda, Egara, Empurias, Aufona, Vrgelo, Ilerda, Ictosa, Tortosa, Cæsaraugusta, Osca, Pampilona, Auca, Calagurra, Tyrafona.

Narbonæ subsint Caucolibium, vel Tolosa, Carcassona, Biterris, Agatha, Luteba, Magalona, Neumafum, Elena, vel Elna.

Spali subsint Italica, vel Italia, Astigis, Corduba, Egabra, Tucci, Eliberi, vel Eliberis, Asidona, & Malaga.

Emeritæ subsint Pace, Olisbona, Oxonoba, Egitania, Caliabria, Viseo, Lamego, Cauria, Salmantica, Abela, Elbora.

Bracaræ subsint Dumium, Festabole, vel Portuale, Tude, Auria, Luco, Astorica, Iria, vel Vria, Ouetum, vel Britonia, exempta a Gallæciæ Bracara.

Acta sunt hæc Toleto in Concilio generali, omnibus vna voce dicentibus; Placet, placet: præsentibus ac subscribentibus inuictò ac ferenissimo rege Vuamba, & Quirico archiepiscopo Toletano, Hispaniarum primate, ceterisque archiepiscopis, cum suis suffraganeis diocesum prædictarum, in ecclesia sanctæ Leocadiæ, æra DCCX. per manum Petri de sancta Leocadia. Vixit autem plus hic rex Vuamba annis quinque, & mortuus est.

Hæc omnia exscripta sunt ex codice antiquo ecclesiæ Toletana, & ex codice Ouetensi qui dicitur Itacius, & a me, vt potui, melius emendata. Placuit etiam addere aliam diuisionem inter Oxomensis & Aucensem episcopos, in Concilio prouinciali factam, regnante Adefonso sexto, & presidente Ricardo legato sedis apostolica, & Bernardo Toletano: quam ex archiuis ecclesiæ Burgenfis habui.

DIVISIO OXOMENSIS ET AVCENSIS
episcopatum.

ANNO ab incarnatione Domini millesimo octogesimo octauo, æra MCXXXVI. regnante gloriosissimo Adefonso imperatore in Toleto, Legionè, Gallæcia, Castella, & Nagara, facta est Synodus in ecclesia sanctæ Mariæ de Fusellis, apud castrum Montloy, præsidente domino Ricardo vicario sanctæ Dei Romanæ ecclesiæ,